

A *Oppressione, calamitate, & anxietate.*] Obseruemus hinc, quomodo populum superbum & induratum Deus humiliet, & multiplicatum diminuat. Tria commemorantur à Psalte: *Oppressio, calamitas, & anxietas.* Ergo dat illi tyrannum oppressorem. Deinde adfligit eum varijs calamitatibus corporum & bonorum. Tertio reddit eum corde anxium & angustiatum. Exemplo sit Israël sub Saule, & alijs tyrannis ex gentibus.

Quomodo populus superbus humilietur.

Effundit contemptum super principes.] Robur principis constat primùm auctoritate & exultatione apud suos, deinde prudentia consiliorum. Obseruandum est itaq; hoc loco, quomodo elatis & impijs principibus Deus vtraq; ista adimat, dum eos prosternere ac sedibus deponere statuit. Adempta auctoritate reddit eos cõtemptos. In contemptum & explosum principem facilè exurgit subditi. Deinde ne quid consilij ad tuendum se captare possint, reddit eos in omnibus errantes. Hæc considerent, qui rerum potiuntur in hoc seculo. Si valent auctoritate & prudentia consiliorum, agnoscant Dominum, vnde ista acceperunt: alioqui timeant, ne vtriusq; priuentur.

OBSER.
Vers. 40.

Et exaltat egenum.] Sic beata Virgo canit: Deponit potentes de sede, & exaltat humiles. Exemplū esto David & Ioseph. Itaq; quod illi dicunt: *Si fortuna volet, fiet de rhetore consul, Si volet hæc eadem, fiet de consule rhetor:* nos non fortunæ, sed diuinæ prouidentię tribuamus.

OBSER.
Vers. 41.
Deus exaltat & humiliat. Malum nõ est, esse sublimem.

Deinde & illud notemus. Si malum esset, constitutum esse hominem in sublimi, supra reliquos mortales exaltatum, non exaltaret Deus egenum. Non est ita sublimitas illa magistratum, principum ac regum in se mala, quæ à Deo est ordinata: sed superbia cordis damnatur, quæ non ex Deo est, sed ex Satana.

Familie benedictionis.

Et ponit instar ouium familias.] Expendamus hinc, quales familias illis det Deus, quos ipse exaltat. *Instar ouium,* inquit, *ponit illi familias.* Non dicit, *Instar suum.* Et sues multiplicantur in greges. Verùm eiusmodi familie, quæ nihil habent simplicitatis, & placiditatis ouille, sed magis immundiciem porcorum referunt, conueniunt magis ad maledictionem, quam benedictionem Dei.

Videant recti, & lætentur.] Quocunq; modo versum hunc legamus, obseruandum est, sic comparatos esse inter se rectos & iniquos, vt vnde illi contristantur, isti lætentur: rursus vnde isti lætantur, illi contristantur. Ducuntur enim diuerso spiritu. Illi spiritu Dei, isti spiritu Satanæ. Ideo dum iudicia Dei exercentur in impios, & pij afflicti liberantur & exaltantur, contristantur & obmutescunt iniqui, exhilarantur recti. Dum verò regnant impii, exultant iniqui, silent recti.

OBSER.
Vers. 42.
Vnde tristatur impij, inde lætantur pii.

Quis sapiens est.] Primùm obserua, quorum gratia Psalmum hunc Propheta composuerit. Propter sapientes videlicet: id est, timentes Dei. Est enim timor Domini, caput sapientiæ. Sapientes isti deum audiunt, & admoneri se sustinent: id quod stulti & contemptores non faciunt. Ideo dicit:

OBSER.
Vers. 43.
Psalmus hic sapientes requirit. Duo requiruntur à sapientibus, quibus hic Psalmus est scriptus.

Quis sapiens est, & obseruabit ista, &c. Deinde notandum est, quid à sapientibus istis requirat. Duo ab illis postulat. Vnum, vt obseruent: alterum, vt intelligant. Obseruantiam igitur requirit eorum quæ diuinitus in rebus humanis geruntur: de quibus hoc Psalmo cecinit. Exigitur animus nõ stupidus, non negligens, non dormitans, sed attentus, sensatus, diligens, vigilanter obseruans. Deinde & intelligentiam exigit. *Et intelliget,* inquit, *benignitatem Domini.* Obseruantia operum Dei huc facere debet, vt benignitas illius intelligatur erga pauperes, egenos, humiles, afflictos, &c. & iustitia erga impios, malos, iniquos, & superbos. Et hic esto verus & legitimus vsus, pariter & finis legèdi historias.

PSALMVS CVIII.

CANTICVM PSALMI DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

Psalms hic compositus est ex quinquagesimo septimo & sexagesimo. Nam primi quinq; versus ad verbum habentur Psal. 57. à 7. versu vsque ad finem: & reliqui octo, Psal. 60. à versu 5. ad calcem vsque Psalms. Manifestum est autem ex inscriptione Psalms 60. compositum esse hoc canticum de bellis illis, quibus deuictis Syris, Moabitibus, Idumæis & Philistæis, regnum Davidis corroboratum est, & ad gentes quoq; finitimas & inimicas dilatatum: quarum ex nomine meminit. 1. Offert autem David animi sui alacritatem ad laudandum Deum nõ ore tantum, sed & instrumentis musicis, idq; in medio populorum & nationum, propter immensam illius bonitatem ac fidem, facit hoc versibus 1. 2. 3. & 4. 2. Deinde versibus 5. & 6. votum suum erga Deum intertextit, quo optat, vt gloria illius exaltetur super vniuersam terram, ad hoc, vt eripiantur afflicti. Sequentibus versibus ad finem vsq; de eo canit, quam fiduciam ex oraculo Dei de dilatatione regni Israël conceperit, & quousq; fines illius extendere velit.

Vide historiam 2. Sam. 8. & 1. Paral. 18.

- D**ARATVM cor meum Deus: cantabo & psallam etiam gloria mea.
2. Excitare psalterium & cithara, excitabo manè.
 3. Laudabo te inter populos Domine & psallam tibi in nationibus.
 4. Quoniã magna est supra cælos benignitas tua, & vsq; ad nubes fides
 5. Exaltare supra cælos Deus & super omnem terram gloria tua. (tua.)
 6. Vt liberentur dilecti tui: serua dextera tua, & responde mihi.
 7. Deus loquutus est in sancto suo: Latabor, diuisi Sichem, & convallem Succoth dimensus sum.
 8. Meus est Gilead, meus est Manasses: & Ephraim fortitudo principatus mei Iudah dux meus.
 9. Moab

VERS. I.

Oppressio